Quelle: https://manuscripta.at/?ID=38178
Copyright: Salzburg, Erzabtei St. Peter, Benediktinerstift, Bibliothek

translata est. tharsis autem in praesenti loco
penitus non habetur; Et ramoth inquiunt
et chodchod dederunt in nundinis tuis.
quod ita habetur in hebraeo. nisi quod pro
ramoth aquila serica. uel subtilia inter
pretatus est. chodchod uero omnes interpretes
ita ut in hebreo positum est transtulerunt;
Igitur iuxta septuaginta filii rhodiorum
negotiatores tyri. de insulis plurimis mul
tiplicauerunt negotiationem eius; iuxta hebraicum
post filios dadan negotiatores eius. Insulae
quoque diuersarum gentium auxerunt mercimo
nium eius adferentes dentes eburneos ex in
dia et ligna hebenina. quae nigri coloris
pretiosissima sunt. et commutauerunt cum aliis
tyri mercibus; syrus quoque fuit negotiator
tyri. pro quo in hebreo positum est ARAM.
In cuius loco septuaginta homines inter
pretati sunt. pro ARAM legentes ADAM.
et RES et daleth litterarum sic supra decepti
similitudine; usque hodie autem permanet in sy
ris ingenitus negotiationis ardor. qui per
totum mundum lucri cupiditate discurrunt.